opinio est iam usque ab eroicis ducta temporibus eaque et populi romani
et omnium gentium firmata consensu. uersari quandam inter
homines diuinationem. quam greci manticen appellant. id est prae
sensionem et scientiam rerum futurarum; Magnifica quedam res et sa
lutaris. si modo est ulla queque proxima ad deorum uim natura mortali
possit accedere; Itaque ut alia nos melius multa quam greci sic
huic praestantissime rei nomini nostri a diuis greci ut plato interpretatur
a furore duxerunt; Gentem quidem nullam uideo. neque tam humanam atque
doctam neque tam inmanem tamque barbaram. que non significari futura et a qui
busdam intellegi praedicique posse censeat; Principio assyrii ut ab ultimis
auctoritatem repetam propter planiciem magnitudinemque regionum quas
incolebant cum celum ex omni parte patens atque apertum intuerentur traiectio
nes motusque stellarum obseruauerunt; quibus notatis. quid cuique significaretur.
memorie prodiderunt; Qua in natione chaldei non ex artis sed ex gentis
uocabulo nominati diuturna obseruatione siderum scientiam putantur
effecisse. ut praedici posset quid cuique euenturum et quo
quisque fato natus esset; Eandem artem etiam aegyptii lon
ginquitate temporum innumerabilibus paene seculis consecuti putantur;
Cilicum autem et pysidarum gens et his finitima pamphilia quibus nationibus
praefuimus ipsi uolatibus auium cantibusque certissimis signis declarari res fu
turas putant. quam uero grecia coloniam misit in eoliam ioniam asiam siciliam
italiam sine pithio aut dodoneo aut hammonis oraculo. aut quod bellum susceptum
susceptum ab ea sine consilio deorum est. nec unum genus est diuinationis publice
priuatimque celebratum; Nam ut omittam ceteros populos nostri quam multa

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_1519/0089